

pios cultus exerceat, & veram Doctrinam blasphemant' & perse-
qvitur: ab ejus communione discedendum est, ne communicemus peccatis alienis.

48. Qvando verò salvâ Doctrinæ puritate mali, qvorum
vita improba est, mixti sunt bonis in Ecclesia, ibi differentia est.
Nam si improbitas hypocrisi tecta latet, tunc valet Regula: De
occultis non judicat Ecclesia. Qvando autem improbitas mani-
festa est, tunc jubet Paulus manifestis sceleribus pollutos excom-
municare & segregare.

49. Recte igitur Augustinus: *Communio malorum*, inquit,
non maculat aliquem participatione Sacramentorum, sed consensio-
ne factorum.

50. Et iterum: *Qvibus mali dispergunt, & eos emendare non*
possunt, non factis eorum, sed altari Christi communicant.

51. Si illa solum Ecclesia vere Christiana & Apostolica, qvæ
exacte conformis est regulæ Christi, nullo unquam tempore Chri-
stiana fuit Ecclesia, Matth. III. 12. XIII. 25. 47. *

52. Aut Ecclesia semper fuit Babel, aut nostra Ecclesia sum-
ma cum injuria hoc nomine notatur. *

53. Esse in Ecclesiis nostris, qvæ emendatione indigeant,
nemo facile negabit: An vero ipsi Ecclesiæ imputari possit, tot
ubivis reperiri defectus, merito dubitatur Eph. IV. 16. *

54. Ecclesiæ reformatio, sicutivis concederetur, oriaretur
Confusio. *

55. Nunquam in his terris sperenda est Ecclesia, qvæ sta-
tui Paradisaico similis erit. *

DISPUTATIO XX.

De Sacramentis in genere.

1. Ad substantiam Sacramenti in N. T. duo reqviruntur,
1. expreßum & universale mandatum Dei, de externo Symbolo
five Elemento, ac præscripto ritu usurpando. 2. Promissio Evan-
gelii huic ritui in verbo ita addita, ut per illum ea offeratur, ex-
hibeatur, applicetur & obsignetur singulis, Sacramentum vera
fide usurpantibus.

2. Talia, proprie loquendo, tantum duo sunt! Baptismus
& Cœna Dominica. 3. Ab.